

« pœnitentiæ, vel Eucharistiæ in Paschate ministrare, juxta cap. *Omnis utriusque sexus*, De pœnitent. et remiss., idemque juris esse de Viatico: siquidem præcedente confessione exhiberi debet cap. 7, *De præpar. quæ adhibenda est*, etc., sess. XIII, in decreto *De sanctissimo Eucharistiæ sacramento*. De extrema unctione non esse judicium congregationis, sed tamen constare ejus administrationem, sicut aliorum sacramentorum, pertinere ad parochum, de cujus parochia dicuntur esse tales professi, nisi speciali privilegio sint exempti.»

« Latius hoc ipsum Benedictus XIV, ex Pontificum constitutionibus inter se collatis, et S. C. decretis, deducit *Institut. eccl.* 105, num. 67, et sequent. his verbis: « Si Leonis X constitutio vim totam et integram obtineat, hæc Tertiariæ privatim vitam agentes, ab episcopi jurisdictione prorsus immunes esse deberent; eos sibi confessarios deligere possent, qui ad monialium confessiones, non vero sæcularium excipiendas probantur: ad parochiam accedere non tenerent, ut Paschali præcepto satisfacerent: tandem a præfectis suis regularibus extremam unctionem percipere, et post mortem in Ecclesia sui ordinis sepeliri jure possent; sed aliter se res habet: nam Leonis X constitutio ad certos quosdam limites est redacta a Summis Pontificibus, qui deinde Sedem apostolicam tenuerunt. Cum hæc mulieres revera non habeantur regulares, eo quod tribus votis solemnibus non astringantur; ideo non censentur immunes illo modo ab episcopi facultate... » Iusuper de his mulieribus Tertiariis hæc sac. congregatio Concilii decernit: « Sacra congregatio Cardinalium concilii Tridentini interpretum sæpius respondit, minime posse sacerdotes regulares mulierum Tertii ordinis, quas de pœnitentia, vel *pinzocheras* vocant, confessiones sacramentales audire, nisi fuerint ab ordinario approbati ad confessiones personarum sæcularium audiendas, quemadmodum nec posse illis sacrosanctum Eucharistiæ sacramentum administrare in die Paschatis Resurrectionis sanctissimi Domini Nostri Jesu Christi. » Item ex epistola sacre congregationis pro causis episcoporum, et regularium constitutæ, ad episcopum Mutinensem die 17 Junii, anno 1639, hæc in ipsas Tertiarias sancita deprehenduntur: « Circa Tertiariam similiter censuerunt (nempe cardinales sacre congregationis) permissum haud fuisse fratribus ejusdem monasterii ob quodcumque privilegium ordinis administrare ipsi sacramentum divinæ Eucharistiæ, et extremæ unctionis, neque ejus cadaver domo efferre indicata funebri pompa, sine parochio, aut sine ipsius licentia: nam hæc revera ad parochos pertinent, qui debent assiduo, sed hoc præsertim tempore, cognoscere, juvare, accuratoque studio fideles sibi traditos instituere. Accedit, quod Tertiaria licet nuncupatis votis, claustrum

« non tenebatur, sed domi suæ intra Parochiam ejusdem ditionem habitabat. »

« Possunt tamen earum cadavera sepeliri in ecclesiis sui ordinis, si locus Tertiariis designatus seorsum existat: sin minus, in parochiali ecclesia, ut cæterarum cadavera, sepelienda sunt.

« Lucrantur etiam indulgentias, gaudentque aliis spiritualibus gratiis ordini annexis, quem profitentur, statim ac ad habitum tertii ordinis, ac ad votum simplex castitatis a superioribus regularibus admittuntur, quibus hanc facultatem ex Apostolicæ Sedis indulto reservari compertum est.

« Non tamen ad omne mulierum genus hæc facultas extenditur, sed ad eas duntaxat, quæ conditiones a sacris congregationibus rite præscriptas habuerunt: nimirum ut honestis, probisque moribus fulgeant, ut annos quadraginta saltem attingant, ut necessaria ad congruam vitam sustentationem bona possideant, ut non nisi cum consanguineis vel affinibus in primo gradu cohabitent.

« Hujusmodi autem conditionum examen, et judicium non ad superiores ipsos regulares, sed ad locorum ordinarios pertinere Summi Pontifices decreverunt; adeo ut recte subjiciat Benedictus XIV, *loc. cit.*: « Quare si quod proprium est, unicuique tribuatur, ad præfectum regularem spectat religiosum habitum his mulieribus impertiri: ad episcopum vero facultatem tradere, et præscriptas condiciones accurato examine cognoscere. »

« Hæc omnia, quæ exacte tradit Benedictus XIV, c. *Institut.* 105, sacre congregationis Episcoporum et Regularium negotiis præpositæ decreto edito sub die 10 Decembris 1616, disertissime sanciuntur; sic enim § 5: « Præterea si contingat, aliquas ex prædictis Tertiariis sine sepultura electione decedere, eas sic decedentes ita demum in ecclesiis ordinis, cujus habitum assumpserunt sepelire debeant, si in ipsis earum communis sepultura reperitur; sin minus, in ecclesiis parochialibus sepeliendas esse decernit. » Superioribus autem regularibus sufficienti facultate ad id a sancta Sede Apostolica suffultis (Cappucinis exceptis) libere mulieres ad hujusmodi habitum recipere, atque ad ipsos vestiendi eas officium pertinere; non autem ad habitum admittendas, et recipiendas esse, nisi probatæ vitæ, ac bonis moribus præditas, ac in ætate saltem quadraginta annorum constitutas, quæ de proprio habeant, unde sufficienter vivere possint, et non cum aliis viris, quam consanguineis, vel affinibus in primo tantum gradu sibi conjunctis cohabitent, et ab ordinario loci licentia prius impetrata, qui non aliter eam concedat, nisi de prædictis prævio examine diligenti sibi constiterit.

« Universa hæc iterum a sacra congregatione Concilii confirmata sunt; nam episcopo Mazaræ quærenti, anno 1727: Quænam sint conditiones requisitæ, ut regulares habeant

tes facultatem dandi habitum suæ religionis mulieribus non collegialiter viventibus, dictum habitum dare possint, et an examen dictarum facultatum pertineat ad episcopum? sacra congregatio Concilii respondit: « Examen facultatum concedendi habitum pertinere ad Sedem Apostolicam, examen conditionum quoad mulieres vestiendas et licentiam vestiendi pertinere ad ordinarium, et conditiones vestiendarum esse expressas in decretis generalibus alias editis, et hæc decreta esse omnino servanda. »

« Ad normam hujusce decreti subjecta hac formula episcopi uti consueverit, qua mulieri facultatem assumendi habitum Tertii ordinis concedere testificantur.

« Dilectæ nobis in Christo N. salutem, et benedictionem in Domino. Ut tu, quæ bonis moribus imbuta, bonæque frugis, ac laudabilis vitæ existis, in ætate annorum quadraginta constituta, propria bona, ex quorum fructibus honeste vivere vales, possides, et non cum aliis viris, quam cum tuis consanguineis, vel affinibus in primo gradu constitutis habitas, prout hæc omnia nobis prævia informatione constare fecisti, habitum Tertii ordinis S. N., quem postulasti, suscipere possis per R. P. N. ordinis provincialem, illum tibi conferendi licentiam et facultatem concedimus et impertimur. In quorum, etc. Datum, etc.

« N. episcopus N. »

« Ex quibus omnibus consequitur, quam recte sacra congregatio de Propaganda fide in congregatione particulari habita die 31 Augusti 1761, per modum decreti generalis servandi in toto regno Hiberniæ inter alia rescripserit pro Tertiariis nullo modo licere regularibus admittere ad habitum, nisi servatis servandis, et de licentia ordinarii: aliter admissas declaretur ab episcopis, nec esse Tertiarias, nec ullis gaudere privilegiis, aut indulgentiis.

« Etiam si vero ejusmodi casus occurrere aliquando possit, in quo potius expedire videatur adolescentulam aliquam habitu Tertii ordinis ante præfixam ætatem, quodam veluti tegumento securitatis assumpto a

periculis liberare, quam medias inter insidias inermem relinquere: non ideo sequitur fas esse superioribus regularibus sine licentia episcopi, vel vicarii Apostolici puellas ad habitum suscipiendum admittere: consulant ipsius in hujusmodi casibus loci ordinarius, qui se facilem pro sui prudentia, atque adeo conscientia, motus ipsius periculi gravitate, præbebit. Nec expedit semper in adolescentulis votum castitatis cum habitus susceptione conjungi, quin potius ad ætatem provectorem quandoque differri; ab ea quippe longius abesse illa, sive pericula, sive scandala, quæ ferventiori, quam prudentiori zelo agitante, possunt oriri.

« Hæc habet sacra congregatio, quo dissidia ac jurgia hisce de rebus in posterum tollantur, iisque sublatis, unitas spiritus, et vinculum pacis inter operarios vineæ Domini conservetur. Et ut maxima, quæ in terris a Domino relicta est, potestate roborentur, SS. D. N. P. Clementi XIII, feliciter regnanti legenda, consideranda, probanda curavit, et idem SS. D. hæc omnia lecta, considerata, probata, auctoritate apostolica confirmavit.

« Confidit in D. J. sacre congregat. hinc superioribus regularibus ad normam instructionis hujusce ambulantis, inde locorum ordinariis, et vicariis apostolicis ad aliorum jura servanda sollicitis, collatis utrinque studiis, illud concordie gluten coalitum, quo, qui ex adverso sunt, nihil habentes malum dicere de eis, vereantur magis, et domus Dei, quæ est Ecclesia, ipsa unitate terribilis, ut castrorum acies ordinata, fideles lætitia, infideles, hæreticos, schismaticos rubore suffundat.

« Quam sacre congregat. instructionem Sanctissimo Domino Nostro Clementi XIII, per me infrascriptum secretarium ejusdem sacre congregationis relatum in audientia habita die 16 Januarii, anno 1763, Sanctitas Sua benigne in omnibus approbavit, et omnino servari mandavit. Datum ex Aëdibus sacre congregationis die 17 mensis et anni quibus supra. »

M. Marefusus, secretarius.



VICARIUS GENERALIS

SACRE RITUUM CONGREGATIONIS DECRETUM.

Capitulum cathedralis Isernien. S. Rit. C. sequentia dubia enodanda proposuit. 1° An vicarius generalis ad cathedralem cum episcopo accedens, in pontificalibus, aliisque sacris functionibus uti possit, eique apponendum sit stratum, et pulvinar? 2° An eidem vicario generali accedenti vel ad dandum canonicis possessionem, vel alia quacunque de causa, præstanda sit honorifica associatio duorum canonicorum? 3° An eidem, ut in dubio 2 accedenti ministrandum

sit ad fores ecclesiæ aspersionum ad instar episcopi? S. Rit. cong. in ordinario cœtu ad Quirinale adunata respondit, *Negative* in omnibus ad formam decretorum, nimirum, *ad primum*, juxta decretum in una urbe Venetana præminentiarum, diei 3 Augusti 1737; ad dubium 2, quo nec pulvinar, nec stratum vicario generali deberi statuitur; et confirmatur in una Melphiten. Præminentiarum, diei 10 Decemb. 1740, ad dubium 7. — *Ad secundum, et tertium*, juxta decretum

in una Vercellen., diei 7 Augusti 1653, quo injungitur, nullo modo vicario generali competere honorificam associationem cle-

VOTUM (199).

Supplem. ad art. I verb. VOTUM, n. 119.

USUS MAGNETISMI.

SACRÆ CONGREGATIONIS SANCTI OFFICII, AC S. POENITENTIARIÆ RESPONSA.

Quæsitum fuit, utrum magnetismus generatim acceptus, et in se, habendus sit licitus, an illicitus? Congregatio generalis S. Officii 23 Junii 1840, respondit: « Consultendos probatos auctores, cum hac advertentia, quod, remoto omni errore, sortilegio, explicita, aut implicita dæmonis invocatione, merus actus adhibendi media physica aliunde licita, non est moraliter vitiosus, dummodo non tendat ad finem illicitum, aut quomodocumque pravum. Applicatio autem principiorum, et mediocum pure physicorum

reorum, et beneficiatorum, aut ministracionem aspersorii per canonicum, die 17 Julii 1730, In Iserniens.

ad res, aut effectus mere supra naturales, ut physice explicentur, non est, nisi decæptio illicita, et hæreticalis. »

Cum dein eadem quæstio proposita fuisset variis induta circumstantiis, et casibus, non raro, ne dicam, semper, in magnetismi usu incidentibus, qui nempe favent incredulitati et corruptelæ, tam sancta congregatio prædicta 21 April. 1841, probante Gregorio XVI, quam S. Poenitentiariæ 1 Julii ejusdem anni, expresse declararunt: « Usum magnetismi, ut fuit propositum, non licere. »

UTENSILIA, SEU PARAMENTA

SACRÆ CONGREGATIONIS EPISCOPORUM ET REGULAR. DECRETA.

R. P. D. Caliendi, anno 1845 a Ripana ad Feretranam ecclesiam translatus, a vita decesserat, nullo confecto inventario sacrorum utensilium, ac paramentorum, prout, diserte jubet sanctissimus D. N. Pius PP. IX, suis apostolicis litteris die 1 Junii 1847, incip. *Cum illud plurimi*. Ejusdem episcopi hæredes, et canonici Feretranæ cathedralis, Pianæ constitutionis usque tum ignari, amice convenerunt, ut maxima pars utensilium, quorum exstabat specifica nota, cathedrali cederet; eam tamen adjecerant hinc inde protestationem, ut reddi deberet, si quid indebitum alterutra pars accepisset.

Deinceps memorati hæredes cognitionem naeti Pianæ legis, omnium utensilium restitutionem a canonicis juridice petierunt. Hi, ut litium et expensarum periculo sese eriperent, omnia utensilia hæredibus tradiderunt, ac S. C. supplicarunt, ut illius traditionis actum sua auctoritate confirmaret.

Sacra congregatio rem rite disceptari mandavit. Quapropter hæredes Caliendi, ut sua jura defenderent, opponerent testimonium plurium hominum, qui eadem utensilia jam penes episcopum Caliendi extitisse testabantur, ex eo tempore, quo ad Feretranam se contulerat ecclesiam. Accedebant etiam acceptilationes aliquorum opificum, ex quibus jam ab anno 1843, nonnullas res confectas fuisse constabat.

Canonici, itemque episcopus successor, qui cathedrali favebat, Pianæ dispositione se tuebantur, qua cautum est, ut episcopi inventarium in authentica forma conficiant,

(199) « Sacra congregatio interrogata circa duos, qui contraxerunt (matrimonium) sub pacto expresso nunquam consummandi, juri renuntiantes in corpora, merito respondit, eos invalide contraxisse,

« ne alias præsumi debeat, ea omnia ex redditibus ecclesiæ comparata fuisse. »

Sacra congregatio juxta doctrinam ab auctoribus traditam et nominatim a Reiffenst., lib. II *Decr.*, tit. 25, § 2, perpendebat ex inventarii omissione emergere præsumptionem juris et de jure favore cathedralis, quæ plene pro veritate esset habenda., *l. cit.*, n. 52. Nihilominus juxta eorundem auctorum animadversiones generalis hæc regula fallit, quotiescunque cæteroquin evidens veritas aliud aperte doceat; ac nominatim quando adversarii eidem evidentiæ non refragantur, *loc. cit.*, num. 37, vel duo, aut tres testes summæ fidei contra præsumptionem testimonium ferunt, *ibidem*.

Partibus auditis, reque de more discussa in generalibus comitiis diei 4 Aprilis 1851, in *Feretranæ Spolii*, eminentiss. Patres hæredum petitioni arriserunt. Proposito enim dubio.

« An, et quomodo apostolica sanctio concedenda sit actui traditionis a capitulo factæ favore hæredum episcopi Caliendi de rebus designatis in speciali nota? »

Rescriptum prodit.

Affirmative facto verbo cum SS. ad cautelam.

Et SS. resolutionem approbavit, et ad mentem; mens est, « che si scriva al Vescovo, che il S. Padre gradirebbe, che si rilasciassero dai sigg. Caliendi almeno i paramenti sacri segnati negli ultimi 13 articoli della nota speciale alla povera cattedrale di Montefeltro. »

quia etiam potentiam (coecundi) sic excluderunt. » Apud Scavino, *Theol. mor.*, De matr., disp. 1, cap. 1, art. 1, q. 4 vers. *Quia tamen*.

ALIUD EJUSDEM CONGREGATIONIS DECRETUM.

C. M. Emin. Reverend. card. Ostini, cum Æsinæ episcopali Ecclesiæ præesset, pendens animo quæstiones, quæ super facultate testandi de sacris utensilibus ac paramentis, quæ emin. Patribus cardinalibus episc. seu abbatibus conceditur, identidem exoriebantur, nonnulla dubia, quæ totum controversiæ negotium continerent, sacræ congr. Episc. et Regularium dirimenda proposuit. Hisce dubiis alia accesserunt super rebus quæ inter sacra utensilia, ac paramenta recensendæ sunt, juxta constitutiones S. Pii V quoad episcopos, et Urbani VIII circa cardinales. Adnotatum enim fuerat, frequentissime disputari circa divisionem sacrorum utensilium inter ecclesias, quæ vel insimul, vel successive ab episcopis administrantur: hinc quærebatur, qua ratione certo dignosci posset, an, et quæ sacra utensilia episcopus privato suo peculio, vel potius ex ecclesiæ redditibus comparasset.

Sacra congreg. primum exquiri mandavit sententiam eminent. ac reverend. cardinalis secretarii brevium, itemque R. D. P. sacristæ Pontificii, ac deinde totam rem consultori remitti jussit, qui omnia controversiæ capita ad legum ecclesiasticarum trutinam expenderet, quidque singulis de rebus opinaretur, enucleate proferret. Consultor universam rem non sine multa doctrina, ingenioque discussit, congruasque responsiones suis innixas argumentis ad singula dubia eminentiss. judicium auctoritati, prudentiæque subjecit.

Dubia his erant concepta formulis:

« An cardinales episcopi residentiales, vel abbates *Nullius*, comprehendantur in constitutione S. Pii V, incipiente *Romani Pontificis*. »

Quatenus negative:

« An per præsentem (quæ nempe adhibebatur tempore propositæ causæ) formulam Brevis, quæ facultatem testandi facit, subjecti intelligantur. »

Quatenus affirmative:

« An dicti cardinales episcopi testari possint ad favorem ecclesiæ titularis de aliqua suppellectili sacra, vel utensili, et de quali. »

« An SS. supplicandum sit, ut dignetur præscribere reformationem dicti Brevis, et quænam esse queat hujusmodi reformatio; et an eadem extendi debeat ad indulta jam concessa per appositam declarationem. »

« Quænam sint in specie res sacræ comprehensæ in constit. S. Pii V, quæ cathedralibus ecclesiis debite sunt; et quænam sint illæ comprehensæ in const. Urbani VIII ad sacellum Pontificium pertinentes, habita ratione earundem provenientiarum, et usus profani, cui ipsæ sunt communes; et an comprehendantur cruces pectorales sine sacris reliquiis. »

« Quomodo peragenda sit divisio sacrorum utensilium, quando episcopus succes-

FERRAR. VII.

sive pluribus ecclesiis præfuisse. »

« Quomodo faciendæ sit eadem divisio, quando episcopus præfuerit pluribus ecclesiis vel unitis, vel datis in perpetuam administrationem cum capitulo et cathedrali distincta. »

« An locus sit divisioni in casu, quo episcopus defunctus translatus fuerit ab una ad alteram ecclesiam, et constet, eundem acquisivisse omnia sacra utensilia ex redditibus alterutrius ecclesiæ; an potius eadem sacra utensilia pertinere debeant ad illam ecclesiam, cujus ex fructibus eadem acquisita fuisse constet? »

« An, et quæ regula statuenda sit, ut impediatur, ne in casibus divisionis quæstiones exoriantur ob incertitudinem provenientiarum eorundem sacrorum utensilium? »

« An annuli episcoporum, et cardinalium comprehensi sint in respectivis constitutionibus S. Pii V et Urbani VIII? »

Sacra congreg. Episc. et Regularium. Ponente laudato emin. ac reverend. card. Ostini, cui paulo post præfectura ejusdem sacræ congr. demandata fuerat, in comitiis generalibus habitis die 9 Augusti anni 1844, proposita causa cum titulo: « Æsina super facultate testandi de sacris utensilibus, quæ eminent. PP. card. episc. seu abbatibus conceditur, et super rebus, quæ inter sacra utensilia recensendæ sunt, » in votum consultoris quoad singula dubia descendit. Re ad S. M. Gregorium XVI, juxta morem a R. D. P. secretario sacræ congreg. relata, Summus ille Pontifex, quoad vixit, supersedendum putavit. At vero eidem suffecto S. D. N. Pio Papa IX, quam ad Ecclesiæ bonum Deus incolumem diutissimo servet, Sanctitas Sua, juxta ea, quæ in secundo dubio proponebantur, et a sacra congreg. de voto consultoris sancita fuerant, Apostolicas litteras in forma brevis super universa ea re promulgare non dubitavit. Quibus quidem in litteris cum responsa ad singula dubia, absque ulla fere immutatione referantur, ab iis hic exscribendis abstinemus, ac potius suis ipsis verbis damus memoratas litteras, quæ sic se habent.

Sanctissimi domini nostri Pii divina Providentia Papæ IX, litteræ Apostolicæ, quibus aliqua dubia circa S. R. E. cardinalium, et episcoporum utensilia declarantur.

« PIUS PP. IX.

« Ad perpetuam rei memoriam.

« Cum illud plurimi referat, ut in Apostolicis concessionibus nullus detur dubitationi locus, quæ animos torqueat, ac controversias excitet, idcirco si quam existere ambiguitatem noverimus, ad eam avertendam curas nostras libenter intendimus. Jam vero præter indultum testandi de propriis bonis, quod venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus Sancta hæc Sedes tribuere solet per Apostolicas litteras in forma brevis incipientes, *De benignitate Sedis Apostolicæ*, iisdem per alias similes.

litteras in forma brevis, quarum initium, *Cum fel. rec. Urbanus VIII*, facultas conceditur disponendi de sacris utensilibus favore alicujus ecclesiae, seu capellae, vel loci pii, non obstante constitutione Urbani VIII, *Aequum est*, edita die 24 Julii 1642, qua sacra cardinalium utensilia Pontificio sacratio attribuntur. Verum cum in memorato postremo brevi, etiam quando agitur de cardinalibus archiepiscopis, episcopis et abbatibus ex quodam invecto usu addi consueverit clausula: « Salvaque in praemissis quoad ecclesias cathedrales, metropolitanas, aut patriarchales, quibus praefueris, seu quas alias ex concessione, vel dispensatione Apostolica in titulum, administrationem, seu commendam obtinueris, dispositione constitutionis fel. rec. Pii PP. V anno 1567 tertio Kalendas Septembris anno secundo, » saepe saepius dubia exorta sint circa interpretationem, et vim hujusmodi reservationis, eo vel magis, quod in superius memorato Brevi, *De benignitate Sedis Apostolicae* praefata S. Pii V constitutioni in ea parte, quae sacra utensilia respicit, aperte derogetur. Si namque Romani Pont. cardinalibus quoque archiepiscopis, episcopis et abbatibus privilegium disponendi de sacris utensilibus concedere solent, illud frustraneum, et illusorium foret, quatenus adjecta clausula eam vim haberet, quam verba praese ferunt. His quoque accedebat, quod nonnulli sacrorum canonum interpretes doceant, cardinales, utpote qui in memorata S. Pii V constitutione speciatim nominati non sint, ex lege minime teneri, etsi alii contrariam sententiam tueantur. Quae cum ita essent, ven. frater noster Petrus cardinalis Ostini, nunc episcopus Albanensis, qui tunc temporis episcopalem Ecclesiam Aesinam regebat, enixe postulavit a fel. rec. Gregorio XVI, praedecessore nostro, ut rem certo definiret, atque expresse declararet, an cardinales episcopi, seu abbates *Nullius* in Apostolicis memoratis litteris S. Pii V praedecessoris nostri comprehendantur, ac statueret, quanam sacra ornamenta, et suppellectiles, et utensilia S. R. E. cardinalium ad sacrarium Pontificium ex memorata constitutione Urbani VIII, et quanam patriarcharum, archiepiscoporum, episcoporum et abbatum *Nullius*, sive cardinalitum dignitate fulgeant, sive illa careant,

(160) En tenor Pianae const.: « Romani Pontificis providentia circumsperta ad ea sollicitudinis suae partes potissimum convertit, per quae singulis Ecclesiis debita obsequia, et opportuna subventionis auxilia minime subtrahantur. Cum itaque, sicut accepimus, nonnulli patriarchae, archiepiscopi, episcopi et abbates, seu commendatarii, ac alii beneficia ecclesiastica obtinentes, proprii honoris, et salutis immemores, etiam praetextu facultatum testandi eis per Sedem Apostolicam concessarum, in eorum ultimis voluntatibus res sacras ac vasa, ornamenta et paramenta ecclesiastica, aliaque cultui divino dicata quandoque ex fructibus ecclesiasticis per eos acquisita, non ecclesiis, et monasteriis, ac beneficiis, quibus praefuerunt, seu a quibus proventus ecclesiasticos, et stipendia acceperunt, prout rationi et honestati consentaneum foret, sed aliis

ad ecclesias cathedrales ex superius citata sancti Pii V constitutione revera spectent, et quomodo facienda sit divisio sacrarum suppellectilium et utensilium, quando episcopus, sive successive, sive simultanee plures Ecclesias gubernaverit. Nos igitur, qui in memorati decessoris nostri P. M. Gregorii XVI, locum, licet immerentes, suffecti sumus, ad praecedendas omnes hac super re dubitationis, ac controversiae causas, de consilio VV. FF. nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis, et consultationibus episcoporum, et regularium praepositorum, haec, quae sequuntur, auctoritate nostra Apostolica decernimus, et mandamus: 1^o Cardinales episcopos teneri quoad sacra utensilia lege lata in constitutione S. Pii V, incipiente: *Romani Pontificis*, exceptis tamen cardinalibus episcopis suburbicariis, necnon exceptis pariter cardinalibus abbatibus *Nullius*, qui in Romana curia morantur, quorum sacra utensilia, attenda citata constitutione *Aequum est*, Urbani VIII praedecessoris nostri, ad Pontificium sacrarium spectabunt. 2^o Firmis remanentibus clausulis derogatoriis constitutionis S. Pii V, cujus initium: *Romani Pontificis providentia*, in litteris in forma brevis incipientibus: *De benignitate Sedis Apostolicae*, appositis in altero brevi quod incipit: *Cum fel. rec. Urbanus VIII*, auferatur clausula, qua salva edicitur eadem Pianae constitutio, ejusque loco substituantur ea, quae sequuntur: « Quod si Ecclesiis abbatialibus, cathedralibus, metropolitanis, patriarchalibus praefueris, seu quas alias ex concessione et dispensatione Apostolica in titulum, administrationem, seu commendam obtinueris, te vehementer hortamur, prout jam Benedictus XIV, praedecessor noster in sua constitutione incipiente, *Inter arduas*, cardinales hortabatur, ut in praedictis rebus disponendis eas Ecclesias praee oculis habeas, caeterisque praeferas. » Quae vero hoc in articulo praescripsimus, ea ad singulos cardinales extendimus, qui ante praesentium litterarum publicationem enuntiatam testandi, ac disponendi facultatem obtinuerint, perinde ac si in respectivis indultis expressa essent. 3^o Sacra utensilia, quae vigore constitutionis S. Pii V, incipientis: *Romani Pontificis* (160), ecclesiis cathedralibus debentur, haec esse dicimus: Mitras scilicet,

locis, etiam aliquando non piis, ac interdum eorum consanguineis et affinibus relinquere, ac camerae Apostolicae collectores, praetextu, quod illa sub appellatione spoliarum veniant, tanquam ejusdem camerae spolia exigere, et percipere non erubescant in maximum religionis dedecus ac ecclesiarum, monasteriorum, et beneficiorum eorundem detrimentum, ac relinquendum animarum periculum, scandalumque plurimorum: Nos abusibus scandalisque hujusmodi providere, ac singularum ecclesiarum, et monasteriorum, ac beneficiorum indemnitati, animarumque quorumlibet salutem consulere volentes, motu proprio, et ex certa scientia, ac de Apostolicae potestatis plenitudine, hac nostra perpetuo valitura constitutione statuimus, ordinamus, decernimus et declaramus, quod de caetero omnia, et singula paramenta, ac vasa, necnon

planetas, pluvialia, tunicellas, dalmaticas, sandalia, chirothecas, albas cum cingulis,

missalia, et gradualia, ac cantus firmi, et musicae, aliaque quomodolibet nuncupati libri, et aliae res sacrae, etiam auri et argenti, ac quaecumque alia bona per quoscumque patriarchas, archiepiscopos, episcopos, abbates, seu commendatarios, et alioscunque, quaecumque et quaecumque beneficia ecclesiastica, cum cura, et sine cura, saecularia, et quorumvis ordinum regularia in titulum, vel commendam, aut alias quomodolibet obtinentes quocumque nomine, vel titulo censeantur, etiam si de illis, et eorum qualitatibus specialis et expressa mentio habenda foret, ad usum, et cultum divinum etiam in eorum privatis aedibus, et capellis, vel oratoriis destinata, tempore eorum obitus ex testamento, vel ab intestato relicta sub quibusvis facultatibus testandi, et alias disponendi, de bonis per eos exaltari, vel alias quomodolibet acquisitis per quoscumque Roman. Pontific. praedecessores et successores nostros, ac Nos sub quibusvis tenoribus, et formis, ac cum quibusvis clausulis, et decretis, etiam motu proprio, aut alias quomodolibet concessis, et concedendis nomine comprehendantur: nec sub appellatione spol. veniant, sed ad singulas ecclesias, monast. etiam conventu careant, et beneficia hujusmodi in quibus resederint, aut quibus praefuerint, seu quae alias obtinuerint, omnino spectent, et pertineant, ac spectare et pertinere, illaque post eorum obitum eidem ecclesiis, monasteriis et beneficiis etiam in Rom. curia, ac proclab illis decesserint, vel ad illa nunquam accesserint, etiam si antea ecclesiarum, et monasteriorum regimini cesserint, vel beneficia hujusmodi renuntiaverint, eo ipso applicata, et incorporata sint, et esse censeantur. Ita quod liceat, illis defunctis, in eidem ecclesiis, monasteriis et beneficiis successoribus, ac ecclesiarum, et monasteriorum hujusmodi capitulis, et conventibus respective illa propria auctoritate libere apprehendere, ac eorum ecclesiis, et sacristiis applicare, et incorporare, ac quaecumque donationes, ac relicta, et legata, testamta, et codicilli, et aliae ultimae voluntates seu spolia desuper contra praesentis constitutionis nostrae tenorem quomodolibet pro tempore facta, quo ad praemissa nulla, et invalida, nulliusque roboris, et momenti existant, et personis, etiam ecclesiasticis, seu locis etiam piis, aut ecclesiasticis aliis quibuscunque, in quarum, seu quorum favorem pro tempore facta fuerint, minime suffragentur, nec per ea eidem personis, seu locis, vel aliis ecclesiis hujusmodi aliquid jus in rebus praedictis, vel ad illas acquiri possit. Quinimo res sacras, ac alia bona praedicta, quocumque nomine, vel titulo pro tempore detinentes, ad illa ecclesiis, et monasteriis, ac beneficiis per defunctos quomodolibet acquisitis, ut praefertur, juxta praesentium tenorem realiter, et cum effectu restituendum, et consignandum, quibusvis dispositionibus de illis in contrarium quomodolibet factis minime attentis, omnino teneantur, et ad id per censuras, et poenas, etiam furti, et sacrilegii, ac alia juris, et facti remedia opportuna cogi, et compelli possint, et debeant. Insuper ne deinceps contingat insolentia spoliarum camerae Apostolicae collectorum, vel subcollectorum aliquas ecclesias, nec hominum quemquam damno, et injuria affici, nec cuiquam de caetero vertatur in dubium, quae res habenda sint nomine spoli, simili modo statuimus, decernimus et declaramus, quod quaecumque scamna, cathedrae, arcae, et etiam lignae, vel lapideae, etiam marmoreae mense, et tabulae, ac quaecumque dolia, seu vasa vinaria, et alia similia suppellectilia domestica per quosvis presbyteros, seu clericos ab humanis pro tempore decedentes tempore eorum obitus in ecclesiis, seu eorum domibus ecclesiarum earumdem, vel alibi ubi locorum relicta, etiam si ex fructibus, et

lineos amictus, et his similia; item missalia, gradualia, libros cantus firmi, et musicae,

proventibus beneficiorum, quae dum viverent obtinebant, acquisita fuerint, sub spoliarum appellatione minime veniant, nec pro spoliis ullo modo reputari possint, praeterea quod nullum spolum camerae praefatae fieri, nec quidquam a quibusvis spoliarum camerae hujusmodi collectoribus, vel subcollectoribus exigi possit per obitum illius, qui, dum viveret, unum, vel plura beneficia ecclesiastica obtinuerit, cujus, vel quorum insimul fructus, redditus et proventus, triginta ducatorum auri de camera secundum communem aestimationem valorem annum non excesserint, aut qui pensiones annuas super quibusvis fructibus ecclesiasticis usque ad dictum valorem annuatim perceperit, dummodo tamen is se ab omni illicita negotiatione, et a sacris canonibus prohibita abstinuerit. Ita quod si quis dictorum collectorum aliquid ex bonis quorumvis defunctorum, qui similia beneficia obtinuerint, seu similes pensiones perceperint, praetextu spoliarum ejusdem camerae percipere, aut alias contra praesentes nostras litteras, attentare praesumpserit, ad totalem bonorum per eum perceptorum restitutionem teneatur, ac ad id via juris etiam per similes censuras et poenas cogi et compelli possit, et debeat. Districtius inhibentes quibusvis camerae praefatae spoliarum collectoribus nunc, et pro tempore existentibus, et sub indignationis nostrae, et privationis eorum officiorum poena, ne in ornamentis, et paramentis, ac vasis, et libris praefato cultui divino dicatis, ac aliis rebus sacris, necnon suppellectilibus praefatis quomodolibet se intromittant, nec in eorum inventariis tanquam spolia redigant, seu describant, sed ornamenta, et paramenta, necnon vasa, et libros, aliaque divino cultui dicata hujusmodi ecclesiis, et monasteriis, capellis, et aliis beneficiis hujusmodi, eorumque rectoribus, et aliis praefatis libere dimittant, et consignent, ac consignari faciant, cum effectu, ac suppellectilia praedicta in locis ubi constiterint, relinquunt, ac decernentes, sic in praemissis omnibus, et singulis per quoscumque iudices, et commissarios, quavis auctoritate fungentes, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum, et inane, quidquid secus super iis a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca dilectis filiis curiae causarum camerae Apostolicae generali auditori, et singulis locorum ordinariis, ac majorem dignitatem, post Pontificalem in universis ecclesiis cathedralibus, et metropolitanis pro tempore obtinentibus, per Apostolica scripta, motu simili mandamus, quatenus, ipsi, vel duo, aut unus eorum praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque ubi, et quando opus fuerit, ac quoties pro parte quorumcumque in praemissis interesse habentium, ut praefertur, fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque firmiter observari, ac singulos, quos litterae ipsae concernunt illis pacifice gaudere, non permittebant eos desuper quomodolibet indebite molestari. Contradictores auctoritate nostra, appellatione postposita, compescendo. Non obstantibus Apostolicis, ac in provincialibus et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non ecclesiarum, et monasteriorum hujusmodi juramento confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, facultatibus testandi, aliisque privilegiis indultis, et litteris Apostolicis, quibusvis concessis approbatis, et innovatis, etiam si de illis, eorumque totis tenoribus specialis, et expressa mentio facienda esset, illorum tenores pro sufficienter